















DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 752
COLLECTION



IOHAN. IESSENII A IESSEN

PHILOS: ET MED: DOCTORIS

ZOROASTER

Nova, brevis, veraq; de Universo Philosophia.





VVITEBERGÆ,
Ex Officina Cratoniana
ANNO CIↃ IↃ XCIII.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DOMINO DOMINO FRIDERICO VVILHELMO DVCI SAXONIÆ ET Vinariæ, Electoratus Saxoniæ Administratori, Tutori, &c. Domino Clementissimo, Summa precatur

IOHAN: IESSENIVS A IESSEN DOCTOR.

NEmo Philosophus nisi pius, dictum grave, Princeps Illustrissime, dignumq́ Philosopho Hermetis illius Trismegisti est. Quid enim Philosophia aliud quam cujusq́ Effectus Causæ cognitio, atq́ adeò primi actus, â quo & post quem omnes, ante quem nullus actus, vni, boni, veri Dei apprehensio, veneratio: Hic totius contemplationis finis, ab hoc quantò qui longius absunt, tantò impij magis & à Philosophia omni alieni. Hinc vulgus, & literatorum nonnulli, dum vident Philosophiæ

plerosq́ deditos, de religione non benè, non piè sentire, aut non rectè, aut nihil credere, vulgato hoc, hic Philosophus est, in Deum non credit, omnes rident Philosophos dicterio. Impietatis sanè nomine apud me suspectus Averrois Arabs qui in Mosaicis scriptis demonstrationes desiderat: Pariter qui vel ignoravit aut agnitum irrisit Deum Plinius. Quare horum Philosophiam uti inanem merito vitare, monet Apostolus.[c] At secus longè quod maximè omnium admirandum qui ante Christi adventum, ante Moisen, ante Prophetas Abrahami Synchroni (multis Philosophantibus prob dedecus nomine etiam ignoti) Hermes Ægypta, & Chaldæus Zoroaster vixerunt Philosophati. Tam perspicuum enim & absolutum de Trinitate, & sensere & scripsêre, vt velijs tantum armati Hebræis, Mahometistis, recentioribus & veteribus Trinitarys bellum indicere, vincere, victoriaq́ triumphare possimus. Sapientiæ huius fama moti Orpheus, Democri-

mocritus, Pythagoras, Plato, Ægyptum ingressi, ab Ægyptiorum Magis, & qui tum ab Ægyptys duro servitutis jugo premebantur Hebræis arcana Magiæ didicerunt: Qui omnes mundi Opifices tres constituunt: Tot Reges Plato nominat. Plotini libri omnes Sacram Theologiam potius quam Philosophiam continent, qui sine impietatis periculo ullo, pietatis adjumento maximo cum Platonis Philebo, Timæo, Sophista, Parmenide, Phædo, publicè in Scholis sublimioribus doceri possent. Hos enim mutatis paucis Christianos posse fieri Academicorum lector studiosissimus. D. Augustinus asserere non dubitat. Adeò olim in Ægypto totoq; Oriente germinantissima Trinitatis floruit herba. Eadem seculis aliquot ante à Prioribus tuis primò Exotica, mox domi in vepreto Ethnicoq; senticeto studiose coli cœpta est. Quanta animi altitudine & constantia superioribus temporibus Patres tui, hanc ab intollerabili meridiei æstu propriorum corporum

opposítu umbra defenderint, suavíq; rutæ rore refecerint, rerum gestarum veri testes pleni libri sunt. Nec tu ab avita virtute degener tria Celebratissima Europæ vireta aliunde magno sumptu evocatis & altis colis & excolis Viris, ex quibus universæ Germaniæ horti alij amœni quod virent auferunt. In iisdem & ego annos aliquot pernoctans Magistris ducibus absolutissimam plantæ huius ideam viriumq; noticiam consecutus, alibi obviam veram nosse, & ab adulterata discernere edoctus sum. In hanc cum nuper Hermetis & Zoroastri hortos permeans incidissem, quantoperè visa lætatus sim, dici non potest. Illam gratum antiquitatis rarum exemplum eruere, spectandamq; hortis, Princeps Illustrissime, Clementissime, tuis inferre iustissimum visum est. Id enim summus meus in te amor, debitaq; postulat gratitudo: Inprimis verò divinitatis studia juvando, propagandoq; præclarus unus exigit nixus. Accipe hanc igitur,

He-

Heröa clementissime: nobisq; & literis cum ruta perpetuò vire vlveq; Princeps benignissimus. Dabatur VVratislaviæ die Beatæ virgini natali. Anno Christianorum.

cIↃ.IↃ.XCIII.





IOHAN: IESSENII A IESSEN DOCTORIS IN ZOROASTREM SVVM AD LECTOREM *Præfatio.*

ZOroastrem totius humanæ sapientiæ Patrem, Magiæq; inventorem apud autores, Plinio teste, consensus: E qua hic gente fuerit, apud eosdem dissensus. Plinius cum Laertio Persam: recentiores, è quorum classe Ficinus Chaldæum faciunt. In cujus ego quoq; libentius eo sententiam, cum quod Chaldaicè oracula ejus scripta, tum quod eadem lingua omnium primò interpretata. Suidas longum ipsius scriptorum enumerat Catalogum. At è tanto Philosophiæ naufragio, vix enatarunt Sexaginta numero à Iuliano quodam Chaldæo græcè facta, verè divina Oracula, ante annos quinquaginta Parisijs excusa. Hæc

supe-

ſuperiori anno Franciſcus Patricius ſingulare antiquitatis ſimulacrum, & Academiæ firmum propugnaculum ex Proclo, Hermete, Simplicio, Damaſceno, Syneſio, Olympidoro, Arnobio, ducentis & ſexaginta ferè petitis auxit Logijs. E quibus ſanè Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti aperta cognitio: credibile de Trinitatis myſterio naturali lumine nō penetrabili ab Abrahamo cōterraneo & coætaneo edoctū. Tam mirè enim factorem omnium, mundiq́ue Creatorem Deum celebrat, angelos agnoſcit, Paradyſum prædicat, animarum immortalitatem docet expreſſè, de veritate, fide, ſpe, & Charitate, brevia, ſed eximia, quibus per gradus quaſi poſtliminio ad DEVM reduces efficiamur, tradit dogmata. Sed utinam Oracula eius haberemus integra, utinam Perſarum Chaldæorumq́ue veram in ea Theologi-

ologiam commentaria. At rudera tantum ſuperſunt, mirandi operis argumenta. Ego accuſandum, an tempus magis, an hominum incuriam, hæreo. Deſine nobis Goropi è columnis hieroglyphicis excæſis literis recuperationis ſpem facere. Erras & tecum omnes, qui Ægyptios præter has nullas alias, inductus credis calluiſſe literas. Etenim & columnas ſculpſêre, & libros ſcripſêre. Hos in arcanis à vulgo abſcondêre: Illas populo tanquam Civilia & Moralia continentes præcepta ſpectandas erigebant publicas. Id quod ex Hermete patet. Facile (ait enim) iſti (de Oſiride & Iſide loquitur) arcana ſcriptorum meorum omnium agnoſcent & diſcernent, ſibiq́ privata continebunt: Quæ verò ad mortalium beneficium tendunt, columnis atq́ obeliſcis inſculpent. Vnde Pythagoram

&

& Platonem è Mercurij columnis Philoſophiam (civilem intellige) didiciſſe, Phyſicæ verò, Matheſeos, & Theologiæ à Sacerdotibus edoctos eſſe, refert Iamblichius. Qui & ipſi poſtmodum in Græciam reverſi, non quibusvis Sapientiæ ſtudia, ne invulgi manibus vileſceret, ſed intimioribus tantum credidêre: Id quod Platonis ad Dionyſium Epiſtola; Et Hyparchi apertius Philoſophantis à Schola exilium oſtendit maximè. Libello autem noſtro Zoroaſtri nomen dedimus, cùm quòd oracula ejus duces ſequuti, tùm quôd verè hæc Zoroaſtris Magia Theologiaq; Chaldæorum fuerit; Non illa veræ Magiæ apud nefandos homines Dæmonum malorum conſortio nata Goetia ſimia. Sed Perſarum altera de ſingulis diſſerens Philoſophia, cuius Sectatores nominis vi, Magi, hoc eſt, Dei

cogni-

cognitores cultoresq; dicti, cuius Sectæ qui nato ſalvatori Domino primi Bethlehem gratulati ſunt, & Sacrificavêre, exſtitere. Hiſce paucis chartis Lector, totam de Deo & Trinitate, tribus Mentium ordinibus, ideis, mundi creatione ejusq; animo, Principijs & Elementis jucunda perſpicuaq; brevitate, veraq; veritate Ariſtotelis non nunquam excuſsis compedibus liberè diſſeruimus. Humani animi, ſiquidem is non ſine operationum, quæ non absq; organorum contemplatione, perfectè cognoſcibilis, conſumatiorem demonſtrationem conſultò diſtulimus. Exactiorem enim huius, uti & aliorum, liber alter, forte brevi, Hermetis titulo, lucem viſurus, tractationem continet. Interim generalia hæc ſpecialibus viam ſtraviſſe ſufficiat.

THE-

THEOCHARIS HERMETIS DE ZOROASTRO VOTVM SVSPENsum ad eius monumentum & illum rogum.



Esseni, vis me Zorastrem dicere versu:
Zorastrem: cuius tantum, mea gloria verba
Excedit: quantum nostro ætas distat ab ævo.
Vellem quae velles. Sed enim non dicere Tanta
Huic balbæ est ea vis linguæ, Musæq́ tenellæ,
Nec mihi fert animus, jam nunc alia omnia fari.
Nec, nisi votum istud, juvat imo à pectore fari.
Esto istud: Vesq́ o Sapientes omnia, Manes,

Zora-

Zorastris prisci, quoq; nostro huic
este benigni
Indocto & Sero Seclo: & tam con-
dita dudum
Æternis tenebris, ac fors busti ipsius
illos
Iam perpessa olim cineres: hinc red-
dite luci
Carmina, & aliquæ Sophiæ monumen-
ta docete.
Non vos, sollicito Manes ego, & evo-
co busto:
Carmina sollicito vestra, & longo evo-
co busto.
Tu quoq; IESSENI resonas eadem om-
nia mecum:
Et nec vota modô resonas: Sed pres-
sius ipsam
Aggressus rerum Molem: monumen-
ta ea prisca
Sollicitas: tenebrisq; suis evellere Spe-
ras:

Idq;

Idq; ipſum poſt PATRICium: tanto auſpicē
fretus:
Et tantum exemplum noſtris rudioribus
oris
Prolucens: etiam properas anteîre ſe-
quendo.
I Propera, ſicuti priſci Zoraſtris
Iyngas
Iam dudum, efficias nobis reſonare, ſi-
lentes
Scilicet hic SOPHIAE, noſtræ eſt veriq;
Silentis
DULCIS Amarus Amor & Iynge ſo-
nantior omni.

IOHAN: IESSENIO A IESSEN PHILOS: ET Med: Doctori.

Amico & Sympatriotæ suo

Sal: Frencelius a Freidenthal Poeta L. Cæsareus. S.



Væ tibi, IESSENI, fiducia tanta? quid audes?
Iudicia an pariunt non aliena metum?
Te multi dicent veterum oppugnare Sophorum
Oracla, & nugis commaculare novis.
Ne metue: id vulgus dicet, non lingva Sophorum
Sobria, in hos lusus ingeniosa tuos.
Nam quod huic præceps ignavia temporis Aevo
Invidit, revocas tu vetus artis opus.
Non ergo oggannis nova: Sed, te vindice, lautis
Sordibus in vitam prisca Magia redit.
Hinc Artis per te redivivus cernitur author:
Hinc per Eum viva laude superstes eris.

IOHAN:

IOHAN: IESSENII À IESSEN, PHILOSOPHIAE & *Medicinæ Doctoris*

ZOROASTER.



Niuersum quod est Principij aut Principium est: à nihilo nihil. Productiò quæ actio à viribus, hæc ab essentia; ita à se nullum. Ab alio igitur eoq; uno aut multis: Non multis, differentem enim qualitatem numerus infert. Ab uno igitur, improducto & simplicissimo cujus proprium, fontem esse omnium, rerum ortus necessarium. Vnum hoc ante entium productionem, ea vel non habuit, vel habuit: Et si hoc, vnum vel omnia? In se omnia habuit: omnia enim produxit. Vnitate unum sibi produxit simile, unum quod esset, esset quod & omnia: V-

num omnia quidem, ſed productum, ob quæ id Secundum. Productio intra vel foris eſſentiam actio. Intra productorem facta productione ab eo non diſceſsit, ſed idem cum eodem remanſit: Per ad extra productionem à productore exijt. Productione prima vnum in uno permanſit quod erat productum, ex uno prodijt, unumq; evaſit; Vnde unum & non unum fuit; Primum unum produxit, unum alterum ſuſcepit. Huius ab illo exitus, idem cum illo non, quod ille Genitor hic genitus, alteritas quædam emergit: Hic quod Pater, alter Filius, aliàs ſubſtantia eſſentiaq; idem ſola differentiæ ratio. Ortus perfectiſsimi geniti à perfectiſsimo Genitore, nulla hinc Genitorem imperfectio imminutioq; conſecuta, qualiter & accendenti luci nil perit: Hoc Genitus

tus à Genitore, nisi quod non ipse sed in ipso sit, (quemadmodum & non à luce radij) differt, ejusdem cum Genitore substantiæ, uti & radiorum cum luce essentia eadem. Duo igitur amore vel odio se prosequentur: Non odio, id enim mali ob malum foret: at in summo bono mali quid? Amore ergò, quem Areopagita circulum bonum à bono in bonum perpetuo revolutum finit, sese complectentur, eoq; jungent. Amor hic tertius quidam duos intervenit, qui non ut humani sunt affectus & passio, sed essentia quædam ex illis procedit, unius ejusdemq; cum Patre & Filio essentiæ; ab utrisq; processione tantum, uti & illi & à se invicem, & ab hoc genitura & ingenitura distinguuntur. Atq; sic ex eis & inter eos tertia fit, itaq; Trina unitas, unaq; Trinitas. Pa-

ter omnia de ſe depromens per primam mentem conſubſtantialem, ſecundæ transmiſit Menti, ut & ipſa per omnia perfecta, ijs non in ſe tantum frueretur, Deitatis modo ſibi ſufficientiſsimo iners otio ſterileſceret: Sed ut & ipſa fæcundiſsima ejusdem cum Patre & Genito ſubſtantiæ, potentiæ, virium, cooperator & æqui operator, & coefficiens exiſteret. Vbi enim eſſentia rei, ibi potentia, ibi in, vel ex eſſentia actio. Atq; ſic Patri Filioq; coeſſentialis Mens ſecunda illis cooperabitur. Non in ſe quidem, id enim à Patre & Filio perfecta habet: Extra ſe igitur. At non in eos unde prodijt, nulla enim his actio reciproca, nullaq; ad ſuperiora productio: circum igitur & infra ſibi ſimile productura. Hoc ergô merito maximo, quod circa ſe & infra ſe omnia produxerit:
Non

Non quod ſola, ſed quia rebus extra profundum condendis proximior conditrix fuerit, Mens opifex appellata. Omnificentiam hanc Patri Filioq; conſubſtantialis cum illis communicat, qui & ipſi ſua conferunt. Eſſentia autem reſpondent potentiæ, his operationes, quibus opera. Opificis eſſentiæ, potentiæ, actiones, operationes infinitæ, talia futura & opera. Infinita igitur, infinitate quadam à ſummo illo conditore degenere numero ſcilicet & multitudine, tum primus, tum reliqui duo Opifices entia produxere, ſimilia quidem ipſis, ſed inferiora: Vnitates, Eſſentias, vitas, menteſq; numero infinitas. Mentes quidem alias circa ſe, ſed minus nobiles, triplici productorum reſpondentes ordini diſtinctas. Tres enim productores cum ſint, & quiſq; ſibi producat

ſimile, hæ Patri, iſtæ Filio, illæ Spi-
ritui ſimiles futuræ. Mens opifex
Patri quidem reſpondentem ſum-
ma excellentia primam Triadem in
ordine primo procreavit, in quo
ordo Patrum ſupremus Patri eſſet
quam ſimilimus, Ordo potentiarum
alter reſponderet filio, ultimus men-
tium appellatus ſibi tertio principio,
mentiq́; Secundæ eſſet aſsimilis. Pa-
riter in ſecunda Triade, quæ filio
reſponderet ſupremæ Patres appel-
latæ, Patrem primum, primæq́; Tri-
adis Patres repræſentarent. Tertiæ
quæ mentes dictæ ſunt ſibi menti
primæ Triadis mentibus ſimiles ex-
iſterent. Sic & in tertia Triade ſibi
menti reſpondente, eſſent Patres
Patri primo, duorumq́; primorum
ordinum Patribus: Potentiæ Filio, &
potentijs: Et mentes ſibi, & ſuis men
tibus perſimiles. Ita ut prima tota
Patri,

Patri, tota ſecunda Filio; tota Spi-
ritui conditori tertia eſset propria.
Sunt autem quædam Patri, Filio,
Spiritui, totiq; profundo communes
Proprietates, inchoantes à Patre,
terminantes in Spiritu, Vnitas, bo-
nitas, Vnum Deus ſimpliciſsimum;
ſimplicitas ab uno genita, ab uno
procedit, toti ineſt Patris profundo,
illic nata, illic habitat, nullius mate-
riæ, materialis Speciei, generis, for-
mæ, qualitatis particeps: Mentibus,
natura, cœlo, anima ſimplicior, ide-
oq; & conditionum illarum expers,
planeq; immutabilis. In Patris igi-
tur profundo, ejuſq; unitatibus,
ſumma ſi eſt ſimplicitas immutabili-
taſq;, ſumma quoq; illic futura veri-
tas. Eodem enim ſemper cum per-
ſtent modo, ſeipſas non fallunt, ab
aliis fucum non accipiunt, non fa-
ciunt, ſed eſt inter eas unio & com-

munio perfectiſsima, indiviſa, immu
tabilis, veriſsimaq; ipſa veritas. At
ubi veritas ſumma, ſumma illic &
ſapientia, ejusq; plenitudo : Hæ ab
Vno prouenientes divinitatis pro-
prietates. A Bono ſufficientia: id e-
nim ſibi aliisq; ſufficit. Cum hac pa-
terni profundi ſufficientia, quæ ſe-
cunda ſunt & participantia, compa-
randa nequaquam. Mundus enim
hic quamvis totus, ex totis compo-
ſitus, perfectus ex perfectis, omnisq;
generis bonis plenus propriis, ſuf-
ficiens dici poſsit : partibus tamen
conſtat conflatis multis, eamq; à
Cauſis ſuperioribus participat; ſuf-
ficientiaq; eius â Bono provenit
ſimplicisſimo. Animarius mundus
propriarum virium plenus eſt, pro-
priæq; beatitudinis menſuram poſ-
ſidet : At huius quoq; ſufficientia
variis eget viribus. Mundus intelle-
ctualis

ctualis & ipse, ut qui perpetuo universum in se possideat bonum, & omnem simul suam comprehendat felicitatem, alterius nullius indigus, cum ei tota eius vita Præsens sit, & intellectio, sufficiens est. At sufficientia hæc suæ competit essentiæ, nullatenus cum profundi paterni sufficientia comparanda, cum secunda & per participationem sit: Illa vero primò & perse Bonum, quo sibi ipsi est sufficiens. Est & postea alijs plenitudine beneficentiæ suæ, qua penetrando per omnia bonitatis divinitatisq́ dona infert, singulisq́ pro caput largitur sufficiens. Per hanc potentiam intellectuales essentiæ similia sibi constituunt: Animæ germinare primamq́ causam imitari expetunt: Naturæ earum rationes in alia transferunt: Formæ & cuncta alia essentialem generandi seseq́ pro-

ferendi habeat amorem ſtimulum. Quam beneficentiam quæq; ſenſibus percipientes eam expetunt, & ad ſummum bonum cuncta conversa id appetunt. Eſt ergo hoc appetibile entium omnium quaſi centrum, circa quod tùm eſſentias ſuas, tum vires, tum actiones, tum appetitus omnes ſuos inextingvibiles & perpetuos revolvunt. Id tamen etſi cupiant non cognoſcunt, ſed qnaſi ariolantur, ipſumq; veluti ignem circa lampyrides volitant, ſuoq; excipere ſinu geſtiunt: Id tamen non præhendunt. Omnibus enim ab entibus ſeparatum in ſuæ dignitatis & ſupereminentiæ abyſſo, ſeſe à noſtris ſenſibus, & à noſtris etiam cogitationibus in ſublime rapuit: Cunctis tamen præſens meat per omnia, univerſa circa ſe movet, ſuiq; cupidinem indit: Hac cupiditate

motuq;

motuque servat omnia, supereminens tamen & inpermistus cunctis, in unitate sua perseverat. Ex prioribus & alia oritur hujus appetibilis proprietas, quæ perfectio dicitur: Hæc quæ per sufficientiam producta, in suas convertit causas ea congregat, in easque reducit, siue sint intelligibilia, intellectualia, animaria, naturalia vel corpora. Omnia namque in causas suas ut perficiantur, revoluuntur, ab eis ad perfectionem reducuntur: absolutam perfectionem consequuta, ueluti in ætatis flore pulcherrima nitent: quæ sui natura pulcritudo amabilis, amorem erga se excitat. Hoc amore entia cuncta perfectione pulcra reddita, primò se invicem cupidissimè prosequuntur, mox in huius causam primam ardentius feruntur. A Bono igitur proveniunt, sufficientia prima,

ma, qua ſibi ſufficiens qua entibus omnibus ſufficientia altera; ab hac appetibile oritur, ex vtriſq́ perfe-ctio conflatur. Pulcritudinis mater perfectio amarem gignit : Hic magno deſiderio & indeſinenti curſu Patrem ipſumq́ bonum quærit, quo ſatiari percupit. Vnum & Bonum hoc entia omnia in ſe continuit antequam extra ſe produceret, nec diſsipatum in ea unum remanſit : Omnia habens, nunquam habitum, ea & nunc non habitum habet, nullum in quo non ſit entium. Primus enim & ſummus actus vniverſa nondum ijs exanimatus actu in ſe continet. Non enim decuerat omnibus ſupereminentem Bonitatem entia procreare, & poſtea a ſeipſis aliena & diſjuncta caſui exercenda relinquere. Nam ſi integra & ipſa bonitas permanere debuerat, univerſa
ſimul

ſimul conjuncta ab invicem jungitur ut penderent: & ad ſe converterentur, primumq́ ad fontem redigi apta ut forent effici oportuit. Id quod fieri nequaquam potuit, niſi extrema mediaq́ entia vinculis ceu glutino quodã colligarentur, quod mentium ſingularium miniſterio effici neceſſũ fuit: Hæ omniformes intellectuales cauſæ vocatæ typiq́ mũdo datæ Ideæ. ſunt. Primi enim hæ Patris conceptus, uno fonte omnes continentur. A Prima & vno regina unitate, unitates hæ Ideæ. Imparticipatus enim intellectus, quo ſe intelligebat mundum eiusq́ partes calluit, cuncta ſapientiæ ſuæ ordine diſpoſuit: Novit quæ ſe appetant & cauſas: In ſe rerum & vitas & eſſentias, unitates, omnium poſteriorum Cauſas habet, vt qui omnibus eſſe ſuo ordine ſtatuat. Eſſe

ſuum in intelligendo, quare ſe ipſum intelligendo, autor & conditor omnium eſt. Et cum omnis in eſſentia actio talis, ut quæ ex Eſſentia prodit ab ea pendeat, unde & omnis ſibi ſimilem Cauſa effectum producit. Interiores illæ quæ ſimiles ad extra ab eſſentia proferuntur Cauſæ, Ideæ ſunt eſſentiarum verarum, unitates, capita & cauſæ : Capita, nam omnis Eſſentia à ſuo uno ſeu unitate ſine qua eſſe nequaquam poſſet : Cauſæ item primariæ, at minus proximæ. Intellectus enim primus ſe ipſum intelligendo ut & reliquos intellectus, animas, naturas, Ideas quoq; intelligit, quarum miniſterio corporeas formas educit. In ſe enim conditor reſpiciens illas intuetur, illarum rebus à ſe productis, pro cuiusq; captu ſimilitudinem infundit, unde exemplaria dictæ Mun-

Mundus enim hic cum animal ſit, animalia cuncta complectens ab anima proximè ſuum eſſe obtinet, hæc in mentem redigitur. In mente neceſſe eſt exemplar tale exſtare, & totius, & partium. Exemplar hoc mundus intelligibilis, qui omnipotens cum ei adſit, id quod ab eo ſuſcipit, impediente nullo, ut hoc exornet, neceſſe eſt. Exornatum Speciem mox & formam in materia ab illo diſcretam habet, alibi Solem, Lunam alibi, hic Hominem, illic Equum, Species ſingulas & quantitates, qualitates, generationes, paſsiones motus naturales, naturæ nimirum cum particulari, tum univerſali conſentaneas. Ab hiſce duabus naturis quæ diſſentiunt, extra hunc ordinem ſunt, nec ibi ideæ earum reperiuntur. Generum cum

hæc:

hæc vltima careant perfectione (illæ autem perfectæ) Ideæ nullæ: non etiam indiuiduorum, nisi quatenus universitatis æternæq; earum Speciei participes. Quæ verò speciem quandam consequuntur, puta artes, imitationes hominum, hominis illic ratione per se Ideam non habent: Accidentaria enim uti & plura alia è materia lociq; differentia confecta. Naturalium verò specierum accidentium, ut quæ perpetuæ sint Ideæ existunt. Quemedmodum vero species, ita Ideæ differunt. Præter hoc aliæ participant, participantur aliæ: Illæ partem aliunde capiunt: Hæ propriam aliꝭs impertiuntur: Participatione illæ his efficiuntur similes: Illæ imagines, hæ exemplaria. Exemplo res clareat. Natura à suis causis in ijsdem est proximis & remotioribus, ascendendo ad pri-
mam

mam usque, semper à suis gradatim participatur effectibus; Effectus vero Causas participant. Natura enim aliud nihil est, quam una totius mundi vita ab anima pendens ut à causa, cuius actus vivendi facta particeps, & mundi corpus movet, & in statu retinet. Anima tanquam sua causa à Mente id habet quod naturæ tribuit: Mens hoc quod animæ largitur a vita obtinet, cuius mens effecta: Vita vero id ipsum à sua essentia nacta: Essentia tandem à nanaturæ Idea, atque prima eius unitate quæ flos atque fons ipsius naturæ est. In quo Effectorum ad Causas ascensu, effectus participant participantur causæ. Imparticipatum autem est simpliciter id quod ab omnibus liberum, Mens scilicet Idea prima omnibus Principium Deus. Principium sine quo non, ordinis, numera-

tionis, productionis, constitutionis, essentiæ, materiæ, formæ, conservationis, accrementi, perfectionis finis denique ad ipsum reditus. Ante principium hoc nihil, post hoc omnia, ab hoc & in hoc Vno & Trino Entia consistunt universa.

Hactenus de Conditore, mentium abstractarum creatione & ordine; post ubi prius de mundi Principijs & partibus disseruero, mundi animum intra mundanasque mentes contemplabimur.

Mundum fabricaturus summus Opifex Deus primo omnium quod produceret tale esse expedijt, in quo alia omnia, & sine quo non essent ulla, id verò nullius alterius indignum, per se subsisteret, quo posito alia omnia poni, sublato tolli omnia

nia

nia foret necessarium. Tale autem spaciũ erat. Vniversa enim siue corpora sint, sive corporis expertia, nisi in loco sint, nequaquam sunt. Antequam igitur extra profundum prodirent entia, spacio cuius proprium vacuum esse eguêre. Itaq́ spacium à primo Vno ante entia omnia productum. Spacium autem hoc quod ante & post omnia entia, quodq́ universa entia capit & excedit, vel substantia vel accidens, (cum alterum horum quicquid in universitate) futurum, Si substantia corpus vel incorporeum: Sin alterum vel quantitas vel quale, aut quid tale aliud. Spacium nihil rerum est mundanarum, præter illam partem, qua mundum capit, est enim extra mundum, mundumq́ ortu anteit, res a mundo plane diversa per se

existens: Mundus corpus est, quale non est spacium. Nulla igitur in Cathegoria futurum spacium. Quid igitur est? Extensio est, intervallum est, capedo & intercapedo est: Ergo quantitas, ergo accidens: Ergo accidens ante substantiam & ante corpus. Perfectus est Categoriarum omnium in natura existentium numerus: Nulli mundanarum rerum, sint corpora, non corpora, sint substantiæ, sint accidentia, spacium accidit: Potius illi omnia uti accedunt ita accidunt: ita ut non solum quæ in Categorijs accidentia, sed etiam substantiæ illi sint accidentia. Spacium ergò per se subsistens, nulli inhærens, extensio existit hypostatica. Substantia namq; si est id quod per se subsistit, maxime omnium futurum spacium substantia: Per se enim substat, nulli innititur, nullo

nullo, quo ſubſtineatur eget, ſed ipſum ſubſiſtentiam ſubſtantijs præbet easq́ꝫ ut ſint ſuſtentat. Atq́ꝫ ſic ſpacium per ſe ſubſiſtendo, alijs ſubſtando, alia juvando, primoq́ꝫ ante alia extando, maximè omnium ſubſtantia eſt. Non illa decem Categoriarum prima, non è materia & forma compoſita, non de Genere, Specie, aut ſingulari prædicata, ſed alia extra denarium Categoriarum numerum Subſtantia: Non corporea, non itidem incorporea, ſed ex utriſq́ꝫ media. Tactui quia nãq́ꝫ nec connivet nec reſiſtit, nulli reliquorum etiã ſenſuum aut obijcitur aut ſubijcitur corpus nõ eſt. Quia vero longitudinem, latitudinem, profunditatẽ omnes dimenſiones obtinet, trine dimenſum ob quod non plane incorporeum itaque corpus incorporeum, & non corpus corpore-

rum: Vtrumq; per se substans, per se & in se existens, adeò, vt per se & in se stet semper, neq; unquam neq; usquam moveatur, neq; essentiam, neq; toto, neq; partibus locum mutet. Reliqua autem omnia quæ mouentur, per hoc spacium mouentur, huic nullum est supra quod moveatur spacium; neq; in se, vel extra se, unde aut quo moveatur terminus. Immotum igitur & immutabile prorsus spatium. Spacium igitur universum quod intra extraq; mundum in immensum extenditur, ne otio & vacuitate sterilesceret rebus omnibus à se tamen alienis, & ea quidem primo quam ante alias in se recipere spacium, quæq; hoc intrare & subire potuit facilius à summo conditore repletum est. In naturæ enim rerum universitate ita comparatum, ut cognata facilius sese excipiant, affines

nes foveant, similia consectentur, grataque coeant amicitia: Contraria verò sese fugiant fugentque, diversa aversentur, inimicitiaque discedant. Tale igitur quod primo spacio indi, quod spacio simile, cui nil resisteret, quod per universum spacium id effusum repleret, quod ut spacium simplicissimum extenderetur in immensum quod uti & spacium per universa funderetur, universum penetraret, universaque impleret: Nulli quod resisteret, cederet omnibus, ab omnibus penetrabile, permeabile, corpus demum & incorporeum, uti & spacium, esse oportuit. Tale autem in universitate tota nullum præter unum Lumen ipsum primogænium, quod ubicunque inter corpora sit summæ bonitatis, Elegantiæ, Sapientiæ, potentiæ, summæque beatitudinis, summa

ac prima imago eſt, Summum enim & unum illud Bpnum cum inaceſsibile lumen habitet, in quo tenebræ nullæ, rebus à ſe procreatis tenebras affundere non potuit, ſed de ſuo lumine in infinitum effudit. Eſt autem lumen primum primæ lucis actus, à luce quidem fonte ſuo prodiens, non tamen ab eo diſcedens, continue inde manans, ſed per ſe & in ſe exiſtens. Non enim prima lux primi productrix luminis producto lumine, lumen deſijt producere, ſiquidem nec ipſa productione exinanita eſſe deſijt, ſed dum ipſa eſt, ab ipſa prodit, & in ſe quoq; conſiſtit, & nequaquam in nihilum, in quod res nulla tranſit, evaneſcit; ſed cuncta permeat & cũ rerum ſeminibus calorem univerſis ſecum invenit, Vbi enim lux, ibi & lumen eſt, ibi ignis, ibi & calor, & ubi horum unum illic &

lic &

lic & reliqua Lux & ignis in se con-
sistunt, lumen & calor extra se pro-
deunt: Illa sicut indivisibiliter sibi
juncta, ita hæc à se nunquam disce-
dunt. Lux nunquam de se lumen
non emittere, nec ignis non calorem
potest. Ab uno igne omnia genita.
Nil aliud ignis hic quam Dei infini-
tam Omnificentiã per quam entia à
se cuncta creata, deq; illo uti fonte
proprio deriuata, denotat. Ignem
hunc Creator Deus primum in su-
um proprium profundum sparsit,
hoc deinde ministras mentes ani-
mosq; consperſit, omnibusq; pro
gradu suo distribuit. Elementarius
calor qui subterraneus est, superter-
ranei est proles proxima, hic Cœle-
stis, qui Empyrei, hic verò luminis
illius quod vniversum replet spaci-
um soboles: huic fontanus præsidet
animus: Istius imago est lumen il-

lud, cui blandiſsimum ſuum calo-
rem infundit mens ſecunda: Mens
hæc à Mente prima & à Patre re-
rum omnium autore & fonte tulit.
Per ſpacium congenitum trine di-
menſa corpora ſunt, quæ per lumen
viſibilia, per calorem conſtant &
vivunt: unde corporum tria ele-
menta reſultant. Sed corporum re-
ſiſtentia unde? A re nimirum, quæ
reſiſtentiam vel indere vel inferre
poſsit: Eam nos fluorem ſeu humo-
rem appellamus: Antiquorum
multi uti & Thales Myleſius aquam
dixere, huic quia humida maximè,
propria & inſeparabilis fluxio.
Cum verò in natura alia quædam
fluant fluidaq́ꝫ nec tamen aqua vel
humor ſint, univerſa ea communi
fluoris nomine appellemus: Is enim
ſupra & ſub firmamento. Lu-
men primævum fluor eſt:

A pri-

A primo suo fonte lumine fluxionem calor habet. Lumen calor & Empyreus mundus ipse fluor: Æther & ipse ardet & fluit. Superna omnia fluere ratio dictat: Inferorum fluor sensui est obvius. Aër ipse liquidus fluit, & qui in hoc è vapore fiunt incensi, ignes quis neget fluere? Mare, flumina, & fontes quis dubitet fluores? Animalium semina concreti fluores sunt: Plantæ omnes fluores. Lapides & mineræ omnes fluores, vel è fluoribus compactos ostendit colliquatio. Imo & terra ipsa generabilium Mater (uti post patebit) tota è fluore concreta. Omnis autem generis multitudo ab idea unitate sua provenit. Fluores subterranei non primi sed postremi, ante hos horumque causa aqueus, huius

huius aëreus, cuius æthereus: Huius item Cœleſtis fluor, huius Empyreus, cuius caloris fluor], huius fluor luminis: Huius tandem prima ac proxima cauſa fluoris Idea atq; vnitas. Quartum itaq; omnibus corporibus inſitum, veluti Elementum primævus Fluor principium.

Hæc de Primævis Vniverſi Principijs: Nunc ad totius accedamus Mundi fabricam.

Empyreus Mundus ſupra æthereos poſitus illos complectitur, à Mente opifice conſtructus, Dei beatarumq; è corpore ſolutarum mentium hoſpitium, totus igneus & immobilis, æthereum Mundum continet. Paterni profundi imago exiſtens, neq; ſuis neq; alienis finitus

tus infinitus manet terminis. Vniuersi enim conditor Deus, essentia, potentia, túm bonitate infinitus, ne finitè bonus aut potens videretur, bonitate & voluntate sua infinita, infinitum produxit Mundum. Ab huius enim infinita essentia, infinitæ vires, infinita actio, quæ cor respondentē sibi semper parturit effectum. Id omni cum sibi similem ferre effectum causæ concessum: quanta injuria Primæ & Causarum Causæ foret negatum? Effectus enim omnis actionem, quæ vires & hæc essentiam arguit. In Deo infinita essentia: igitur infinitæ virtutes, actiones, cui & effectus respondebunt, infinitum nimirum quo finitum continetur. Summa igitur Dei virtus bonitas, voluntas, extra quem nihil, & in quo omnia, ad summam suam gloriam, summæq;

mæq; potentiæ teſtimonium, infinitum (in quo & finitus compræhenditur) creavit mundum. Empyreus ab igne dictus ad extra ad infinitatem expanditur, ad intra verò, quia æthera contangit, finitur. Æther verò ab ardore ſic appellatus, qui ab èo contangitur Cœlum dicitur, ad extra qua empyreum & qua ad intra elementa contangit finitur. Empyreus totus ſimilaris ad extra infinito ſuo flure extenſus, raritate & tenuitate claret blandius, ardetq; tenuius. Æther autem primus non totus ardet, ſed per intervalla coa- ctione ſui claret acutius & ardet vehementius, flammarum, fulgoris, & magnitudinis differentia diſsimilaris. Atque ſic Cœlum & æther infiniti mundi, finita regio, infiniti

primi fluoris immensa portio calore supero præditus, astrorum flammis infinitis itidem fluoribus pulcrè distinctus ornata apparet facie, ob quam merito mundi cognomine donatus. Æther hic num numeri aut divisionis ratione multiplex ita indagandum. Corpus omne quale & mundus, quatuor ante demonstratis constat Principijs. In spacio enim est, è fluore per calorem & lumen corpus primum. Empyreus mundus constitutus; ea in se veluti absorpsit, his se nutrit, qualiter & ipsa sese invicem mutuo alunt, fovent, & conservant dicta principia. Et sicuti spacium natura partibus & toto immobile, talia & reliqua, talis & mundus Empyreus. In quem enim hic transeat locum alium, nullus superest. Extra

enim vel intra se moveri necessum. Non extra se: Totum enim spacium: spacium autem omnia occupat. In se vero quomodo, partibus ne an toto? Toti sibi locum in se nō invenit, non igitur toto: Non etiam partibus. Partes enim aut toti & sibi ipsi sunt similes, aut sunt à toto & inter se dissimiles. At quomodo sunt dissimiles in primæva Empyrei natura, quando adhuc nihil in eo aliud sit quam ipse solus? Toti ergo sibiq; similes partes omnes. Si similes in simile non actio, à simili non passio, & ita non se trahent, non pellent, â loco non discedent: Nulla igitur movebitur, sed omnes futuræ immobiles. Immobilis igitur Empyreus totus ad extra & centrum versus. Cœlum autem cum Empyrei pars sit, vel toti eo loco quo Empyreo junctum continuum, vel ab eo in toto a toto

sepe-

ſeparatum, disjunctum. Quo dato Cœlum ſuperficie propria, & in ſupero, & in infero terminabitur, unde & Empyreus mundus ea qua æthera contangit parte, propria terminetur ſuperficie conſequentia. Diſiunctionis verò cauſa quæ nam fuit? Non diſcordia, nulla enim inter ſimilia diſsenſio, uniq́ꝫ melius longè quã multis: Quare & Empyreus quoq́ꝫ primi unius imago, unus potius quam in multitudinem diſpergi debuit. Reſtat disjunctionis huius Conditor ſuſpectus, qui vel ſeparatos eos creare, aut creatos disjungere voluit. Hanc neceſsitas ſequitur, ob finem enim ſeparatos voluit: Hic uti & ipſe Deus bonus: Boni igitur alicuius cauſa, ſegregati à Deo Cœli ſunt. Et univerſo fortè expedit cœlum moveri, quod ne tracto ſecum Empyreo, partium confu-

ſionem pateretur, ſejunctum debuit & oportuit. Cum autem Deus & natura nihil fruſtra, motus hic conferre debuit, quo vel ſibi aliquid tanquam imperfectum acquireret, aut alijs prodeſſet, aut utriſq; conſuleret. Motu ſi quid ſibi Cœlum conciliaturum, aut à ſe ipſo aut aliunde acquiret. Cum in ſe habuerit & habeat omnia, idemq; in ſeipſum non agat & patiatur: à ſeipſo nihil. Perfectionem igitur à ſuperis Cauſis vel expectabit ab inferis. Ab inferis imperfectioribus quam acquiret perfectionem? ſi à ſuperis quærenda: cur id non quietè potius quæ ſtatus, hæc identitas, quæ perfectio: quam motu, qui in alteritatem tendit id conſequeretur. Alteritas enim à ſuo eſſe dimovet, atq; ita de perfe-

ctione

ctione in imperfectionem tendet: At cunctis sese perficiendi, destruendi minimè appetitus. Cœlo etiam nemo vim cum inferat, surripiat, in eoq́ corrumpat, à Deo perfectissimum creatum, frustra qui id tueatur, conservet, aut adaugeat motus quæritur. Vnde Cœlum sua sorte contentum, naturaq́ sua perfectum, sui non moveri causa decidimns. At forte aliorum utilitatis causa motus illi tributus, quo vel superis vel æqualibus, vel prosit inferis. Sed quid corpus incorporeis, effectus causis, perfectionis adferat? Cœlo nulli æquales, restat prodesse inferis. Inferiora hæc si quid à supernis consequuntur, non Cœli sed syderum id impetrant beneficio. Quare Cœlum nec sui nec aliorum causa mobile, frustra circumgyrari

creditur. Cœlum ergo corpus omnium ſimpliciſsimum & ſimilare, nusquam diſsimilare, nullibi ſeparatum, nulla verſus Empyreum præditum, qua ab eo diſsipetur ſuperficie. Faceſsant igitur cum ſuis tot ab aſtrorum, a Planetarum latione excogitatis excentricis & concentricis orbibus Aſtronomi. Per mare unum piſces omnes, magni, medij, minimiq; natant, tranantq; maria. Aerem unum volatilia ſusq; deq; pervolant: Cometæ ignesq; magni inardeſcunt. Cur ſyderibus quæ ignes ſunt (inter noſtrum & divinum medij) hic autem ſua natura mobiliſsimus, non potius motum quam inviſibili cœlo tribuimus. Nec vereamur ullam hoc motu cœli fiſsionem, quando & aquam & aërem aliena ſubeunt corpora, nulla ſubſequente universi peſſundatione.

Aer etiam quia nubibus, imbribus aliisq; decidentibus & pervolantibus locum cedit, iterumq; in se coit (si enim resisteret, transcursus hi non fierent) totus fluidus, liquidus, simplex, tenuis, rarus, omnibus hisce Cœlo apparet similimus, nequaquam ab eo segregatus, unde unum & continuum cum Cœlo corpus facimus.

Vnum & Continuum & immobile cœlum esse ostendimus, astra quid sint, unde moveantur, & quæ earum actiones præsenti labore exantlandum.

Astra ut ignes nostri lucent, diversos nostro in varia materia accenso, similes ostendunt colores, apparent rotunda, scintillant, lumen de se propagant, lumen cum calo-

re proferunt,omnia ut ignes noſtri:
His adde mobilitatem, tenuitatem,
acutiem, penetrationem, raritatem,
hæc utrisq; conſpiciuntur commu-
nia. Tria autem ignium genera,
ſummus & primus diuinus & Ide-
alis: Huius ſimulachrum ignis
Cœleſtis: ab hoc noſter partici-
pat. Aſtra igitur inter noſtrum
& divinum verè ignes medij.
Cœleſtis ille purus eſt, ſincerus, im-
materialis, immortalis, divini illi-
us ignis intelligibilis ſoboles. Quòd
vero non totus æther ſed aſtra tan-
tum ardeant, ejus in cauſa raritas.
Cujus rei ſenſatus teſtis aër no-
ſter, qui rarior quam ut accendi
ardereq; poſsit. Aſtra verò par-
tes ætheris, ut ignem concipere, de-
ſe edere ac retinere compotes, com-
pactiores ac denſiores ab Arche-
typo conditæ. Noſter at ignis impu-
rus

rus, materiei conditiones sequitur, est mortalis, continuo sursum quo terram oppositam contrarium fugiat, ortusq́ sui principium quærat, fertur. Nulli autem orbi infixæ, sed proprijs viribus in æthere stellæ pendulæ: ad quod demonstrandum ejus quod propè nos est similis mutuemur experimentum. Sæpè nubes tantæ magnitudinis, densitatis, hyeme præsertim, ut Solis etiam lumen intercipiant per dies plures in aere hærere conspicimus: Varij in aere generantur ignes, aliquandiu in eo perseverant: cur eadem ratione & sydera in Cœlo non pendeant? Nec ita vis infertur naturæ ulla. Sicut enim terra centro sui natura innititur, circaq́ ipsum conglobatur: ita & stella singula naturali in loco constituta circa cui innititur centrum

circumrotatur proprium. Non etiam aſtra, ut ij qui in aëre accenſi ignes evaneſcunt & extinguuntur. Placuit enim ſummo Conditori uno in univerſitate poſito contrario, & alterum condere. Ita ut pro æternorum & corruptibilium corporum jure, ignes quidam perpetui exiſterent, alij temporarij: alius materia egeret in qua accendatur, qua extincta deficiat: Alius nullius materiæ indigus in ſe ipſo conſiſteret, deq; ſua ſubſtantia ſe nutriret, atq; ſic æternus nunquam in ætheris raritatem deficeret. At moventur ne, an immota perſtant aſtra omnia? Firmamentum ita quod firmum ſtet dictum, nullo impellitur motu; In hoc quæ tamen degunt ſydera, circulo ferri ſpectantur, unde neceſſe, ea vel Cœlo infixa una circumferri, vel tota virtute propria ſeſe verſa-

versare, vel denique terram rotatu nos potius suo in gyrum actos, fallere. Primus modus cum Cœlum immotum consistat impossibilis: Alter cum sydera per totius Cœli corpus sparsa, nobis proximiora quædam, distantiora alia, per inæqualia incedant loca, vicinorum quia brevius spacium motus possibilis: superiorum cum pari tempore tam immensum permeare locum impossibile, latio quoque impossibilis. Vt autem sensus repugnat vehementius, ita ratio contra nititur verius, terram potius quam cœlum, astraque suprema moveri in circulum. Huic præterea experimenta multa patrocinantur. Si quis enim navi vehatur, montes & littora retro cedere, se & navim nō impelli sentiet. Pariter si etiã diutius è ponte flumen quis aspiciat, non aquam, sed secum pontem

moveri conſpiciet. Quod ſi in debita diſtantia viſus decipitur, quantò facilius eum falli in ſtellarum aut cœli motu, quæ immenſo à nobis abſunt intervallo, putabimus. Cur non idem noctu ſtellas intuentibus, quæ tamen uti littora immota perſtant moveri, nos verò immotos conſiſtere decipi eveniat? Nil faciunt hic Ariſtotelis & Mathematicorum contra hoc noſtrum enunciatum arietes. Vrget ille, ſi terra movetur, vi & præter naturam movetur: Idem de Cœli motu aſſerere nos poſſumus. Inſtat, ſi moveretur, & partes eundem ſecuturas motum: non negamus. Terram vero ad universi medium ferri falſum. Supra hoc enim conſiſtit, circaque hoc veluti polum, qualiter rotari Cœlum putatum, vertitur. Nec ob id quod in totius universi medio, ei quies

affingi debet, cum nusquam nec ad latera, nec ad ſupera neq; ad infera concedere, ſed centrum circa gyrari poſsit. Motu hoc aquam ſecum vehit, nec alia æſtus, fluxus & refluxus marini unquam futuri: Motu eodem aerem intra montium cacumina comprehenſum circumvolvit, auramq; concitat. Neq; hoc lento terræ motu ædificiorum ruinam metuant, qui impoſsibili celerrimoq; motu Cœlum in fruſta fractum iri non timuêre. Et cum terra non vi ſed a natura ſua moveatur, quæ animi proles, hæc intellectus ſoboles, quæ opificis intellectus proles, à quo reliquæ juſſa capeſſunt ſoboles, quæ ut à principio operari cœpere, ita operantur nunc, in perpetuum operaturæ: Catena hac cuncta ad cenrum uſq; connexa, ne deficiant a naturis, animis, & mentibus ſervantur.

Atq; hic contra Aristotelem in circulum moveri terram rationibus eversis cõtrarijs & stabilitis proprijs, Pythagoræ quoq; in subsidium veniente schola effecimus. Cum autem stellæ flammæ sint, imposibile autem sit flammas quiescere, astraq; præterea omnia animata, intellectuq; prædita per se naturaq; sui moveri necessum est. Et cum anima motus principium quid mirandum si astra ut flammæ per se mobiles, anima præditæ à nullo rectore vehiculo, rota, aut orbe nullo circumvectæ per se moveantur. Motum hunc manifestè Planetæ ostendunt, qui cum eiusdem cum alijs stellis naturæ, essentiæ, virium & actionum superis etiam stellis motus adsignandus. Imposibilis autem supremarum stellarum motus ita contemperabitur, si ipsis ab ortu in occa-

occaſum motum, terræ contrarium conſtituamus. Concludendum itaq; aſtra moveri ab ortu in occaſum: Et quia ea Celeritas impoſsibilis viſa ab occaſu in ortum terram contrario, & inter hæc duo Planetas motu medio ferri oportuit: Ita vt temperatis motibus unius velocitas, alterius compenſata tarditate perfecta reſultaret harmonia.

Planetæ Græcis quoniam ultra & citra Eclypticam Solisq; viam modo à Solis Orbita ad Septentrionem, ad Meridiem modo flectant, modò tardè, modò citentur velociter, nunc ſtent, nunc præ, nunc retro currant, varijsq; motibus errent, à Latinis errantia ſydera dicti. Horum nos non ut veteres, & pleriq;. moderni ſeptenarium, ſed quinarium ſaltem conſtituimus numerum. Sol enim cum

nun-

nunquam à ſuà deflectat Ecly-
ptica linea: Et Luna alterius ab
aſtris eſſentiæ, in illorum contuber-
nium vocari non poterunt. Imo ſi
nervoſius in rem inquirimus, ſunt
Planetæ ut cætera aſtra flammæ ac
luces, eademq́; ignis conſtant eſſen-
tia; natura quæ actiones earum per-
agit, ſpiritu qui rector, animo,
mente, & intellectu prædıtæ, quo vi-
vunt, feruntur, & agunt, curſus eos
quos mundo expedit ad Conditoris
nutum peragunt, quibus licet nobis
errare videantur errant tamen mi-
nime. His Aſtronomi à magni-
tudine, ſitu, luce, motusq́; veloci-
tate & tarditate differentiam adfinxê-
re. Iovem omnium dicunt ma-
ximum: huic mole Saturunum fa-
ciunt proximum: tertias Mar-
ti: poſt Veneris: omnium ſtellarum

minimam Mercurium aſſerunt. Omnium magnitudines ad terræ proportionem referunt: Magnitudine multis partibus Saturnum & Iovem terram excedere, hanc Martem mole æquare, hac minores Veneris & Mercurij ſtellas computâre. Color his varius, pallet Saturnus, fulgentior Iuppiter, Mars rubet, lucet Venus, plumbeo ſpectatur colore Mercurius. Colorum horum differentiæ lucis (è qua ſingulæ conſtitutæ flammæ) raritas atque in cauſa denſitas. Hæc enim rara ſi ſit, lucem dilucidiorem, ſi denſior, vividiorem reddit. Nam & rara flamma apud nos minus fulget, in craſsiori verò ac denſiori materia accenſa, rubet magis fulgetque clarius. De horum verò ſitu

non

non omnes inter ſe Philoſophi & Aſtronomi conveniunt; alterum tamen ſupereminere, ſuccumbere alterum concordes. Ordinem horum ex velocitate motusq; tarditate colligunt. Ratiocinantur enim, Motus tardior longius arguit ſpacium & viam, minorem velocior. Itaq; Saturno qui trigeſimo anno iter abſolvit, omniumq;, tardiſsime fertur, locum ſummum. Lunæ verò quod citiſſimè ad locum, unde abijt, redeat, ſedem conſtituunt infimam. Cum autem octavam quam vocant Sphæram, 24. horarum tempore motum abſolvere doceant, illam vel infra Lunam conſtituti, aut velocitatis & tarditatis motus huius cauſam commententur aliam, ſumma neceſſitas. Interim antequam ſe explicent, dent veniam, Planetas omnes ſtellis interponi nullumq; altero altiorem

rem esse asseri. Idem enim ipsis quod navibus non eodem vento euntibus accidit: adeo citus & tardus pro cujusque viribus respondet progressus. Qui si aliquando maiores minores nonnunquam visuntur, ascensus & descensus eorum in causa. Quanto enim propiora, maiora tanto, minora quantò distantiora corpora. Astronomi apparentias has Concentricis & Epicyclis adfingunt: quas naturis, spiritibus ac magis animis ac mentibus tribuere fuerat æquius. Ab his enim reguntur, perque hoc motus divinæ providentiæ satellites, totius universi harmonicum servant concentum. De Sole Lunaque seorsim aliquid. Sol Plinio totius universi cor, mens, animus, naturæque Numen principale creditus est; ab Ethnicis pro sensibili Deo cultus: in huius laudem Iu-

lianus Imperator cognomine Apo-
ſtata, ſingularem conſcripſit librum.
Plato Solem ſummi boni ſobolem,
ſenſibileq́; ſimulacrum appellat: Et
quas illud in intelligibili mundo,
hunc in viſibili vires habere; Et qua
liter bonum ad intellectum & intelli-
gibilia ſeſe habet, ita ſe in viſibili hoc
mundo ad viſum & viſibilia: Et
quemadmodum illud omnis intelli-
gentiæ & veritatis ibi cauſa; ſic Sol
in mundo hoc omnis viſionis, &
quæ per viſum cognoſcitur verita-
tis occaſio. Veterum Philoſo-
phantium varias de hoc relinqua-
mus ſententias. Sol hic corpo-
reorum ignium ignis primus,
imago Empyrei primæviq́; luminis
& caloris, lux compactiſsima, ignis
ardentiſsimus. Radij huius ig-
nes ab eo ſecundi, recti, acuti, pene-
trantes, urentes. Lumen ab his
ignis

ſignis tertius, quaſi flamma in exi-
liſsima materia leviter ſuccenſum.
Hoc rerum ſeminum delator, eo-
rundem menſura, numerus & fo-
mes. Dum enim illuminat, ea
quæ inepta ſunt ſubit, ea calore co-
mite penetrat, ſeparat, congregat,
purgat, movet, generat, nutrit, a-
dauget, perficit, renovat, vivifi-
cat, & continet, ita ut cuncta cor-
pora Solem expetant, uti genito-
rem, motorem, calfactorem, illumi-
natorem, vitæ deniq; datorem &
conſervatorem. Hæc enim om-
nia corporibus omnibus, infundit,
indit, manifeſtis luminis viribus, &
occultis ſpiritualibusquè actioni-
bus: His quemcunquè locum fe-
rit, mox prole gravidum impræ-
gnat. Spiritus autem à lumine
& calore vectus, in intima pe-
netrat, ſecumquè rerum defert

ſemina, qui & naturalem terræ calorem & fovet et excitat, & vivificat, & ſeſe in eo multiplicat: ſemina rerum variarum pro terræ natura, capacitate, huc atq; illuc diffundit, ibi multa commovet, alterat, concoquit, extenuat, incraſſat, mutat, fœcunda facit, nova generat, corrumpit vetera. Hinc tanta rerum ſub & ſupra terram varietas. Atq; hæc ſummariæ ſummi Dei miniſtri actiones, ut ſcilicet motu ſuo ſeſe mundo circumferat, ſecumq; lumen, calorem & ſpiritum vehendo, mundo infundat, & quæ à ſuperis rerum acceperat ſemina, radijs ſuis diſseminet, totumq; univerſum fœcundet.

Cum Sole Luna motus æqualitate, figuræq; rotunditate conuenit. Cum alijs aſtris neq; luce, neq; radia-

radiatione, ſcintillatione, lumine, non calore, neq; colore convenientiam habet ullam. Corpus enim quodam compoſitum eſt & inæquale. In hac partes quædam obſcuræ, ut terra exiſtunt, aliæ ad ignis inſtar lucent, utræq; opacæ. (quod in ſolari Ecclipſi publicum fit) nullum ſolari tranſitum concedunt lumini. Res hæc non immerito Orpheo, Thaleti, Heraclyto, & pleriſq; alijs Pythagoricæ factionis Philoſophis alteram terram Lunam ſtatuêre, cauſam præbuit. Siquidem terra æquê in aëre ac Luna in æthere pendet: non aliter ac Luna rotunda ſit, non aliter ac Luna opaca, umbram ad Lunam uſq; iaciat, quemadmodum & hæc totam terram obſcurat. Habet terra ut & Luna obſcuras aliquas & partes lucentes alias. Obſcuras quæ aquis ſupereminent:

Vniuerso mari, lacubus, & flumi-
nibus tectis luminosas. Non enim
minus aqua superficie sua a Sole
collustrata, quam ea Lunæ pars,
quæ eius maculas tùm circum-
dat, tum intercurrit, splendet.
Quamobrem fortè non contra
verum foret Lunæ globum alte-
rum esse terræ globum cum aqua
tota conglobatum, (qualis nostras
hic globus elementaris) æthereum
globum: Splendentes in Luna par-
tes, aquam æthereã alteram asse-
rere. Imò quid mirum si ibi, uti
in nostra quoquè terra planities,
montes & convalles, homines, ani-
malia, plantæq; pulchriora tamen
omnia, nostrisq; grandiora, &
cum in puro æthere degant, viva-
ciora, illic habitent. Nec desunt, cur
Lunæ globum alteram terram cre-
damus, rationes aliæ. Quis enim
dubi-

dubitet in æthere partem fœculentam constitisse & crassam, in quam veluti feces ætheris omnes conditoris jussu amandatæ. Quemadmodum in hac mund parte elemantari undequaque fex omnis in hanc nostram confluit terram. Luna ergô etherea terra: Et terra nostra elementaris Luna esto. Nec frustra terra Lunaque gemina a Deo condita: magna, enim quæ inter eas intercedit sympatia, altera alteram fovet, & utriusquè partes ut vivant, ut conserventur, altera ab altera suscipit. Ne autem frustra tot, tanta, & tam pulchra Corpora fabrefactas stellas putemus, adde animalia cum sint vitaque prædita, harum quæ sint actiones intimus perpendendum.

Astrologi de astris eorumque actionibus plurima pollicentur.

Origenes Cœlum magnum naturæ librum, in quo ſcripta omnia cuius Character ſolis ſapientibus notus, appellat. Chaldæi à quibus aſtrorum diſciplina promanat, multa ex his diu antequam eveniſſent prædixiſſe notant hiſtoriæ. Poſteritatis tamen non æqua divinandi felicitas artem & profeſſores deriſui expoſuit. Contra quos ex antiquioribus Platonicis Plotinus, è recentioribus Marſilius feliciter pugnat, eorumq́ rationes funditus evertere nititur. Non tamen effectũ eſt, quin adhuc innumeri & ſint hodie futuriq́ in poſterum Aſtrologi: Tanta inſita humanis mentibus præſciendi aviditas. Aſtrorum vires & actiones nos Philoſophicè venemur. Aſtra omnium conſenſu corpora ſunt, hæc ſubſtantiæ, hæ vires habent, in actiones vires prorumpunt: A-

gunt

gunt igitur. Actiones horum partim nobis notæ, partim ignotæ, ardent, calent, lucent, lumen effundunt, calefaciunt, notæ hæ omnes. Agent autem vel in se vel extra se: Vtroq; modo. In se quidem ut mutua sese juvent ope: Extra se agunt quam procul lumina jacere possunt. Non autem credibile est tam ingentia corpora, tot numero, tantaq; pulchritudine, unius tantum tam exigui, & tam desormis terræ corporis causa stellas creatas, quam nec lumen, nec calor earum attingit, præter quam unus Sol, qui lumine, calore, & seminibus omnium generator est. Difficilene igitur creditu fuerit sydera cuncta in Solem vnum, Lunam unam, lumina, calores, & semina sua fundere, hisq; duobus ut generationum rĕgionibus aëri, aquæ, atq; terræ proximioribus,

 bus,

bus, vicariis quaſi uti & adminiſtris: Primum enim lumen caloris vector, calor & lumen ſeminum vectores & fluores, hæc omnia in ſydera ab eis deuecta: à ſyderibus quidem lumen & calor in Solem: In Lunã verò fluor diſperſus: quæ omnia ab his nobis contributa, ad huc conſervantur hodie. Hinc calor & lumen omne à Sole rerum generatore, temporum effectore, per quæ omnis è ſuis ſeminibus, manifeſtis & latentibus rerum generatio & renovatio pervenire ſentitur. Nam quæ nos cernimus ſemina inefficatia per ſe, ab occulto fœcundantur ſemine, quod in humore illorum habitat, qui dum à Lunæ luminibus humorem cœleſtem deferentibus fovetur, vitalis eſt, donec calor humoris illius comes a Solis lumine fotus, illud fovet, & ſpiritum

in

in eo vel præexiſtentem ſervat, vel novum generat, vitalemq́ efficit. Sicut autem aſtrorū, ita Cœli aſtris intermediȷ actio, eadem enim quæ à ſuperis in ipſum defluxerunt, tum in ſe fœcundat, tum in alia ad nos uſq́ transfundit. Et qualiter aſtra lumen & calorem, & cum his quæ in ipſis ſunt ſemina, in ſolum transmittunt Solem: ita intermediȷ Cœli partes, cum ſimplices fluores ſint, eundem in ſolam effundunt Lunam. Et ſicut Sol ignis penu & quæſtor, lumen & calorem, & cum his ſemina, in hunc elementarem transvehit mundum: Ita Luna in eundem (unde humorum quoq́ mater dicta) Cæleſtem effundit fluorem. Hæc de Cœlo, aſtris, horum eſſentia, virtute actionibus Philoſophata ſunto:

Ætherea ſpeculando peragrata regione, in hunc elementarem mundum noſtrum deſcendamus. Hunc triplicem, alij aërem, aquam, & terram, his cum Hypocrate Ariſtoteles ignem, quem ſub Luna ſupraq; aërem conſtituit, adjecit quartum: Hic an verè ſublunaris mundi pars ratione perſpiciamus. Ignis elementum ſi eſt è tribus ignium ſpeciebus, aut carbo, flamma, vel Lux, horum aut unus aut omnia futurus neceſſario. Si carbo, accenſus foret, (extinctus enim amplius ignis non eſſet,) in ſe caleret, & conjugem continuo excalefaceret aërem, qui & ipſe cum ſymbolicus ſit in ignem converſus, omnia iam conflagraſſet. Huc uſq; id non evenit, nec ut eveniat in poſterum metuendum, cum ab eo non calefiamus; non illuminemur, nullus igitur

uti carbo ſub æthere ignis. Quod ſi flamma eſt, ardet neceſſario, ſi ardet incendit, incendio cuncta carbone facilius materiam ſubeundo ſeſeque augendo citius depaſcit: atque ita jam dudum tria hæc elementa reliqua peſſundata, inque cineres redacta fuiſſent. Sed cum adhuc qualia ab initio condita, perſtent, edacem nullam ſub Luna flammam agnoſcimus. Quod ſi quis porrò hanc blandum ignem, clementem benignamque flammam aſſerat, alius is æther futurus eſt, vel ſaltem naturæ æthereæ; ſi æther alter, idem cum primo futurus eſt; ſin naturæ æthereæ, duo futuri æthera, atque ita fruſtra multiplicata entia. Prior de ſe protulit, genuit, nutritque aſtra: Alter otioſum torpeſcet corpus. Otium autem ex entibus eximit natura, eximit qui nihil fruſtra facit Conditor Deus:

Qua-

Quare nullus ſub Luna æther,
æthereaquè extat natura. Non
etiam Lux ignis futurus tertius:
Luceret enim, edendoquè Lumen
inferna illuminaret, aërem quem
complectitur, obſcuritate prohibe.
ret, noctes tenebraſquè omnes de.
pelleret. At in Lunæ Soliſquè
defectibus, noctuquè atrant cun.
cta, profundæquè vigent tenebræ.
Nullus igitur, cum nequè carbo,
nec flamma, nec lux, ſub Luna ſu-
praquè aërem ſenſu cognoſci, nec
Syllogiſmo poſsit colligi, ignem de
Sphæra ſua in perpetuum deturbe-
mus, atq; tanquam non ens exiſten-
tia cuius uti nulla, ita nec ſcientia,
rudibus fabris malleis inquiren-
dum committamus. Eius autem
in locum Aërem, quem antea cum
æthere continuum diximus ſurro=
gemus. In hoc natura bella ſua
exer.

exercet, secum contendit, pugnat, in hoc tonitrua, fulmina, nubes, imbres, grandines, procellæ, turbines, mortalium terriculamenta & mala plurima: circa terram immenso rerum globo quasi furit. Blandius verò nobiscum æther agit: inter se igitur diuersa, differentiores quanto utriusquè partes extremè distantiores. Quæ enim à principio suo longius recedunt loco, essentia quoquè perfectione & dignitate recedant necesse longius. Verum enim antiquissimum illud Philosophorum decretum. Elementa ubi sese tangunt similitudinem aliquam naturæ habere, quam Symbolum appellarunt. Cœlum namq; vbi Empyreo continuum Empyreæ aliquid raritatis habet, & aliquid Empyreum Cœli densitatis: Et ubi Cœlum secundus attingit æther,

æther, Cœlo ſimilis eſt, ætheri Cœlum: Secundi verò æther tertius, & ſecundus tertij habet aliquid. Aer ubi tertium hunc æthera contangit, raritatis illius fit particeps: æther ab hoc aliquid denſitatis mutuatur: Media aëris regio ratione prorſus eadem, de ſumma, imaq́ʒ ſui parte aliquid participat, utræq́ʒ ab hac viciſsim uſu capiunt. In infima ſui parte denſior craſsiorq́ʒ aer, ferèq́ʒ aqueus: aqua ſuperficie ſuperiori aereæ raritatis particeps, in medio craſsior, parte qua incumbit terræ denſiſsima, quaſiq́ʒ terra: ſicuti & ibi terra aquea ferèq́ʒ fluida. Itaq́ʒ aër tota ſui conſtitutione æthere denſior, ſuprema regione ætheri raritate ſimilis, deſcenſu denſeſcit & craſſeſcit, ita ut in fine aquæ craſsitie denſitateq́ʒ reſpondeat. Atq́ʒ hæc de Eſſentia ſubſtantiaq́ʒ aeris quam
qua-

qualitates ſequuntur. Fluiditas, calor, raritas, tenuitas, perſpicuitas: Per has corpus obtuſum, cedens, tenerum, facile diuiſibile, ductile, ſpargibile, facile diſcerptibile. Hæc quatuor à teneritate, tenuitas à ceſſione à raritate ceſsio, à vacui intermiſtis atomis raritas, quibus ſi caret, reſiſtit maximè. Carebit autem ſi vel ipſi ex eo expellantur, vel ipſe in eos compellatur: Vtrumq́; alterius aeris superventu compulſuq́; futurum, cuius compreſſi ſeſeq́; invicem impellentis tanta vis, ut non tantum leves aquas moveat, ſed maxima maria attollat, ſaxa monteſq́; rumpat, cum populis Vrbes & Orbes evertat. Cedendi verô, impellendi, ſuſtinendi, aliiſq́; contrariis viribus à Conditore aer conſtitutus, vt per eum omnia in ſublunari hoc mundo adminiſtrarentur, rege-

tentur, animentur, fœcundentur, producantur, nutriantur, augean- tur, perficiantur & deniq; conſer- ventur.

Inter aërem terramq; aqua e- lementum medium, fluorem atq; humorem omnes teſtantur ſenſus, Omnium enim maximè fluere perci pitur, ea quæq; tangit vel in ſuper- ficie, vel intra aliquantulum, vel e- tiam humectat tota, quæ prima ejus Eſſentia, primaq; eſſentialis pro- prietas & actio. Proprijs hæc termi- nis non figitur, ſed fluit & dilatatur, quouſq; duri obvij corporis coërce- atur terminis. Eſt & hæc ut cor- pora alia omnia è primis illis princi- pijs conflata. A ſpacio enim diſtan- tiam habet, diafanitatem à lumine, calorem à primævo calore, humidi- tatem fluoremq; ceu feudum a pri- mo-

mo obtinet fluore. Aqua omnis in natura ſua conſtituta, duorum apparet generum, ſalſa alia, cui amaror nomen mare dedit: dulcis alia, ſive temporaria ſit, ut pluvialis, ſive ut fluvij, fontes, lacus, putei perennis. Eſt & quæ in ſubterraneis cavernis & barathris latet aqua, quæ ſalſa vel dulcis, aut diverſi ſaporis judicata, vel alteri accedet aquarum generi, aut tertium per ſe conſtituet. Atquè ſic aquæ non unum, ſed elementa plura. Id ſi abſurdum videtur aſſeri, utram harum aquarum dicturi elementum. Si mare, cur non & ſubterraneas & ſuperterraneas aquas, dulces aquas omnes? Si ſecundam, cur non tertiam & primam? ſi tertiam, cur non primam & ſecundam? ſi tota tria, quomodo tam diverſa

inter ſe genera, genus elementi u-
num conſtituent. Quemadmodum
autem Logici Subſtantiæ & Quanti-
tatis Categorias, primo in duo pri-
ma genera, quæ in ſubalterna ulti-
mo in ſpecialiſsima diſpeſcunt. Ita
nos in Phyſica aquæ genus unum in-
ſuperterraneum & ſubterraneum,
genera duo prima primo: prius rur-
ſus in duo, ſalſum & dulce, hæc vi-
ciſsim in alia. Non dum tamen ma-
re unum, non dum aquæ elemen-
tum unum. Vt igitur nodum hunc
unico præcidamus ictu. Omnem a-
quam ubicunq; ea ſit, aquæ elemen-
tum totum conſtituere decidimus.
Nam qualiter aer in tres ſupremam
mediam & infimam diſtinctus regi-
ones,ætherq; unus à Chaldæis in
tria diſtinctus æthera: pariter eadem
aquæ tribui poteſt diviſio: Ita ut
quædam ſit ſubterranea & infima,
mare

mare locum capiat medium, lacus pleriq; & flumina supremum, quæ finem cursus sui in quod sese exonerant, mare habent: unde Aristoteles finem potius quam principium aquarum mare putavit. Sic itaq; elementum unum aquam in regiones tres distinctam concludimus. Elementi huius pars principalissima, a quo superterraneæ & subterraneæ aquæ, omnes derivantur, Oceanus. Non enim ipse fontes ullos habet, sed ipse est fons & scaturigo reliquarum aquarum omnium. Licet autem veterum Philosophantium communi axiomate, primorum priores Causas inquirere vetitum. Dicimus tamen nos mare omne à principio usq; à Conditore salsum factum, ut terram subiens in sal, quod semen rerum primarium omnium facilius facesseret: Inde tot

mineralium, lapidum, & metallo- rum ſpecies, quarum omnium ſal origo primaria, confectæ. Per ter- ram verò poſtmodum collatum ma- re, lacubus, fontibus, fluminibus, puteis, dulcibusq; aquis omnibus ortu dato, potabile effectum, uni- verſis ſupra ſubq; terram vitam de- gentibus uſum impertiretur.

Cum mari terra globum con- ſtituit unum, hæc ut & reliqua, à principio fluida extitit. Fex enim illa per aërem & aquam in minutiſ- ſimas conciſa partes quaqua ver- ſum volutavit, cujus reliquiæ atomi in aëre habitare curſitareq; in Solis ſpectantur radijs: nec minus in a- quis quantumvis puriſsimis inſunt, qua non agitata in fundo reſident conſpicui. Talis fex in aëre & a- qua elementis à primordio voli- tans,

tans, verbo mentis conditricis in u-
num redacta locum, ex qua terra
constituta. Quæ dum adhuc ele-
mentorum fex in atomis consiste-
ret, pars fluoris erat, & ipsa simul
fluebat. At conditoris imperio
in vnum vocata locum, densata
constitit, fluereq; desijt. Non ta-
men omnino primævæ suæ vestigia
deposuit naturæ; vehementi enim
igne (quod in cinere fornacibus
vitrarijs injecto conspicimus) in
fluorem vertitur, potentiaquè sem-
per, si non actu, cum pars ejus
extera aëreo intima aqueo jun-
ct fluori, fluor existit. Aqua verò
semper actu ut flueret, & nunquam
non flueret, â se tamen non difflue-
ret, proprijs cum non posset limitib9
terra quasi carcere coercita est. Ter
ra vero quia fex prius dispersa,
 ne

ne iterum à ſe diſcederet, quo in ſe
contineretur & conſiſteret, aqua o-
pus habuit glutine. Inter Mundi inte
gralia autem corpora minimè terra
ſimplex, maximè omniū compoſita,
primò ſenſus inſtituit: Mox qui u-
num illud ſupremum rerum omni-
um principium ſolum ſimplex eſſe,
reliqua vero entia ab hoc pro gradu
ſuo uti unitatis, ita ſimplicitatis par-
ticipia, obquæ id alia aliijs compoſiti-
ora, demonſtrat ratio.

Hæc mundi eiusq́ partium u-
niverſi deniq́ totius facies. Mun-
dus corporum omnium, quia mul-
tis magnisq́ occupatiſsimus, maxi-
mum, quia ſibi ſufficiens, perfectiſsi-
mum. Is itaq́ ut in ſua eſſentia per-
fectioneq́ perſeveraret, ſuperiori
pontentioriq́ natura incorporea ni-
mirum

mirum carere non potuit, quæ ipsum penetrare non dedignata, singulas partés principes & minimas, contineret, vinceret, uniret: quæ licet incorporea, corpori tamen accommodata uniretur. Hæc autem aliud nil quam Animus: quo ut mundi corpus duraret, indiguit. Hic enim corpori dum adest, id animat, animando vitam præbet, vivificando motum impertitur, motu unit, uniendo vincit, vinciendo existit vinculum, hoc mundi partibus sympatian adfert, hæc passionem & actionem, hæ generationem ex qua corruptio, utraq; alteratione mutationeq; perficiuntur. Sine hoc Animo iners totus jaceret mundus cadaver. Animus igitur hic quid, quotuplex, è quo corporum ne, an incorporeorum entium genere, ultimo itendamus animum. Corpus

nullum per ſe ſubſiſtit, alterius eget ſubſiſtentia, ab alio movetur, motus hic, actio, hæc à viribus, illæ ab eſſentia. Et quia in tempore movetur, motus temporarius, temporaria actio à viribus & eſſentia temporaria. Hæc autem quia partibilis, temporaria eſt: Id quia diviſibile: Hoc quia trine dimenſum: Hoc quia mole conſtat: Hoc quia non ſine ſpacio. Hinc corpus actiones, quæ meræ paſsiones ſunt, obtinet, quod dum patitur, alteratur, inde mutatur: Dum mutatur, amplius non eſt id quod fuerat prius, atq; ſic ea parte non ens fit. Hac ergo parte, eſt, illa non eſt. Ente igitur & non ente à ſe diſsimilis efficitur. Corpus itaquè in hoc vniverſo hiſce proprietatibus reperto, in eodem contrarium omnibus proprietatibus ens,

reperiri necessitas, quod sibi semper simile sit, quod ens sit semper, quod non ens nunquam vel sit, vel fiat, semper sit quod erat, idem semper: Id autem quia non mutatur: Hoc quod non alteratur: Hoc quia non patitur: Hoc quia tantum agit: Hoc quia solum agendi vires: Hoc quia talem essentiam: Hoc quia non dividitur: Id quia partes nullas: Id quia trinè non dimensum: Hoc quia non moles, nec è mole, nec mole indiget ut sit in spacio: Hoc quia per se substat: Hoc quia incorporeum: Hoc quia corpori contrarium. Qua igitur ratione incorporeum jungi poterit corpori? Non per temperamentum: illud enim nunquam patitur, nunquam alteratur: Incorporea semper agunt: patientur semper ab illis corpora, alterabuntur,

mutabuntnr, donec tota in non ens abeant. Vt verò corpus servetur, mundus conservetur, rerum universitas constet, nunquam incorporea corporibus iungi oportet. Corpus autem per se non subsistit, ab alio igitur sustentabitur: id vero corpus esse nequit, ijsdem enim egeret fulcris, quæ si quoque corpora, progressus corporum â quo natura abhorret infinitus. Non futurum etiam incorporeum est: actione enim corpus in nihilum redigeret, eique ut contrarium jungi non posset. Aliud igitur quod corpori salutem adferat, corpori indi, quod actionis beneficio, hæc autem contactus medio fiat necessum. Id autem non corpus nec incorporeum itidem futurum, præter has enim naturas est quædam in universitate tertia, inter has media: Incorporeo suo pen-

pendens ab incorporea: ad corpus vergens corporeo, utrarumq; proprietetum particeps: Non ex extremis miſta, non ex contrarijs temperata, non è partibus compoſita, ſed mirando modo hæc omnia. Incorporea enim cum ſit, incorporearum proprietates habeat neceſſe: non ſimplicißimas quidem illas, quales in vere incorporeis ſunt, ſed gradu inferiore. Omne namq; productum non cum producente, idem, ſed eidem ſimile, quatenus ab eo identitatis quid aufert, evadit: Quia verò in alteritatem cadet, fit ei diſsimile. Similitudinem ergo quandam veræ incorporeitatis habet, ſed non ſicut ſuperiora vere incorporea: Illa ab omni corpore longe abſunt; hæc quia ab illis cadunt corporibus junguntur. Vt autem incorporeis ſimilis ſit, fieri particeps illorum, identitatis

titatis opus. Fit autem si sui aliquid incorporeum habeat, similitudine, qua illa accedat proxima. Mole careat, sit imparibilis, indivisibilis, impassibilis, inalterabilis, im̃utabilis semper, & non ens nunquam. Qua verò corpori jungatur assimilis corpori sit, huiusquè conditiones teneat necesse. Atquè sic proprijs conditionibus æterna, secundis corpori proximis proprietatibus temporia, aliquando in non ens abitura. Et sic verè medius inter incorporeum & ens corporeum evadit, quem nos appellamus animum. Hunc cum Deus intellectus Conditor conderet, omnes suas in eum transfudit proprietates, identitatis suæ illi tribuens quantum animi in alteritatem casus secum auferre potuit. Factus igitur animus rerum uni-

versita-

versitatis tota, sed animaria, sicuti intellectus intellectualis, vita universitas vitalis, essentia essentialis &c. At ut in Intellectu rerum formæ omnium fuerant suo modo: ita in animum eædem omnes rerum formæ suo gradu & ordine ab intellectu descenderunt. Per quas sicuti Intellectus intelligibilis, & mundus intellectualis erat. Sic animus mundus animarius factus, formis rerum omnibus gravidus non quidem accidentariis (nullius enim accidentis superi hospites.) sed substantialibus. Atquê sic animus entia omnia est, superiora tanquam eorum imago, inferiora ut exemplar: Essentia sua tota universitas entium est, modo nimirum animario. Unum igitur est ab unitate sua, essentia ab essentia Intelligibili, ab

Intel-

Intellectu conditore Intellectus, quæ omnia a ſuperis Cauſis, a quibus pendet, & ſine quibus non conſiſtit, obtinuit. Poſtquam tamen productus, in ſe unus eſt & unitatem habet, in ſe habet eſſentiam, in ſe vivit, & eſt vita, in ſe intelligit, eſt intellectus, eſt ratio, eſt rationalis, rerum omnium eſſentiales inditas rationes habet. Ab Ideis enim, per eſſentiam, per vitã, per intellectum in eum deſcenderunt, ex eiſq; ſuam eſſentiam conſtituerunt: ſimilem quidem illis, quia illorum ſecum abſtulit aliquid identitatis: Iisdem quoq; diſsimilis, quia in alteritatem cadens alius ab iis factus, ſicuti & ea quæ à ſe producuntur, licet aliquid identitatis impetrent, propter tamen in alteritatem caſum, ab ipſo evadunt alia. Rerum autem procreatarum ordo expoſcit, ut quemadmodum

in men-

in mente aut Intellectu uno alij omnes: Vitæ in una vita omnes: In una omnes essentiæ: Vnitates in unitate una: Entia omnia in principio Entium uno: Ita animo in uno animos esse omnes uti in proprio proximoq; domicilio. Horum alij supramundani, intramundani alij. Illi supra mundum corporeum: hi in mundo corporeo, illi sine corpore ullo, hi partum habent quid corporis, inter illos primus in quo reliqui consistunt animi animus. Intramundanorum animorum numerũ, Mundi totius animum, Dæmonicum, humanum atq; belluum, facimus quaternarium. Mundo animum esse & qualem hactenus: Nunc totus an verò ex parte vivat cum philosophantium varient sententiæ dicamus. Mundi corpus totum ne una perfectum, imperfe-

ctum parte altera, hac vivat, mor-
tuum rigeat parte altera: nullumque
absque animo corpus honorabile, to-
tum animum vivere profitemur. E-
lementa etiam seu organa sint, sive
inorganica vita animoque prædita.
Id enim blattæ, & reliquæ quis-
quiliæ, plantæ, Zoophyta vitam
à mundo obtinentia manifestè do-
cumento sunt: Absque hoc terra,
aqua, aër, vitam indere aliis ne-
quirent. Vnus mundo animus est,
ita tamen vt partes eius principes
proprios habeant animos, minori-
bus participantes, & hi minimis.
Exemplo sunt stirpes quædam,
quibus animalia innascuntur, ver-
mes scilicet & varii insecta generis,
animis prædita propriis. In bove, in
equo vermes nascuntur sæpè in eis
dum vivunt bovis & equi animo vi
vunt, excreti non alieno sed proprio
aliquan-

aliquandiu conſpiciuntur vivere anima. Atq́ hæc de vniuerſi animo.

Dæmones actus eſſe in confinio mentium & animorum conſtitutos natura ſuadet: alios puros natura integros, rectæquè voluntatis, caſtos Dei ſatellites bonosquè hominum duces: Alios mala materiei germina depravatæ voluntatis, impuros. Hi nonnunquam mentito corpore ludunt ſpectra. Multoties etiam Dei juſſu permiſſuq́; procellis, turbinibus, fulguribus, terræ motibus, fame & bello, morbis præterea impietatem ulciſcuntur hominum. Multi ſunt, & quaſi exercitus quidam chori, nulla his mundi pars vacua, in hunc propriæ actionis ſementa adulteria, homicidia, ſacrilegia, impietates

& quæ ſunt alia malorum dæmo-
num opera jaciunt. Humanus ani-
mus divinus prorſus eſt, æterna &
intellectualis eſſentia, ſemper mobi-
lis, ſemperq́ movetur, aliisq́ mo-
tum impertitur, per quam ratio-
nem immortalis. Corporeitatis e-
nim expers, qua ſi forte prædita intel
lectu & ratione careret. Corpus e-
nim amens eſt, accepta eſſentia ani-
mal ſpirans fit, is ſpiritus corporis
eſt. Ratio vero Eſſentia pulcri
contemplatrix. Sentiens ſpiritus
apparentium index in organicos
ſenſus diſpeſcitur. Pars enim hu-
ius quædam ſpiritualis viſio, ſpiri-
tus audiens, odorans, guſtans, tan-
gens. Hic elatus ad dianiam iudi-
cat ſenſum. Ratio autem eſſentiæ
eſt id quod ſapit. Rationi coexiſtit
cognitio, ſpiritui verò opinio. Ad
dianiam opinio & ſenſus fertur.
Adit

Adit ratio essentiam · Intellectio per ipsam it. Implicatur dianeæ intel. lectio in se vero invicem transitu u, na Idea fiunt. Animus hic humanus corpori immersus capto cuidam & cubiculo incarcerato persimilis, est qui ita inclusus non aliam habeat fe- nestram per quam foras respiciat quam vitream, nec alia quam quæ vitrum patitur intueri: valeat si niti, dum id sit & pellucidum, clarius, sin obductum pulvere, obscurius cer. nat. Non tamen ignoret is, obsta. re sibi vitrum quo minus res clarius cernat ac apertius. Ita & in cor, pore licet mens ducatur à sensibus, crebros tamen horum lapsus rati. one fulcit ac corrigit, & licet in= strumento utatur, supra omnem ta= men materiam sese attollit humanus animus.

Animi in rationalem & irrationalem diſtinctione brutis rationem omnem ademerunt, nos à ſuſpecta hac autoritatis ſententia, ad rationis tribunal appellemus. Animus omnis ab intellectu: ſine medio quomodo à mente, productrice res amens proveniret? Si non à mente a mundano ſaltem animo, is etiam maxime totusquê rationalis. Ab eo belluinus genitus excidet quidem à cauſæ identitate in alteritatem, at identitatis aliquid ſecum auferet, ſimilisquè cauſæ, gradu tamen demiſsiore extiturus: Ergo non ratione vacuus. Sacer codex dictatu Spiritus Domini exaratus, brutis aliquãdo intellectũ ut mulo et aſino adimit aliquãdo ut Iob. 38. c. quis Gallo intelligentiã dedit? rurſus reſtituit. Pone intellectu bruta in ſacro Codice omnino privari ratione

tamen carere cum res diversissimæ, nunquam in eo scriptum ostenderis. Potius asino & bovi tribuitur cognitio: Formicarum prudentiam imitari iubet Sapiens. Ἄλογον quod non est κατὰ λόγον triplici apud Græcos, quod ratione, quod sorore rationis oratione, quod animi dialogo caret in significatu. An verò uno horum pluribus aut omnibus bruta careant omnia perquirendum. Omnia videntur lingva sua loqui, præter pisces & reptilia, quæ voce destituuntur orationis materia. Ranæ crocitando & inter se & nobiscum (lingva sua, voce non qualis hominum syllabis dearticulata) loquuntur, pluviasq; prædicunt. Locutio animi per vocem expressio. Quadrupedum ferè nullum mutum, habent suos, sua in specie latratus, hinnitus,

balatus, nitritus, mugitus, rugitus,
similesq́ alias voces, quibus animi
paſsiones exprimunt, forte etiam
commodiore quam inter homines
ſermonis uſu. Equorum una ſpe-
cies ſuo hinnitu per univerſum ſeſe
intelligunt orbem. Homines pro
locorum varietate nova opus ha-
bent ſermonum diſciplina. Interno-
rum horum ratiocinium quod atti-
net animantia bruta animi dialogo
aliquo uti videntur, id quod ex eo-
rum actionibus manifeſtè præhen-
ditur. Grues cum Pygmæis pug-
naturi acies inſtruunt, vigilias inſti-
tuunt, celebrant judicia, de adulte-
ris ſeverum exigunt ſupplicium. A-
pum quis non ſapientem mirabitur
Rempublicam, inq́ mellificio ope-
ram ita variam? Terreſtrium, ſer-
pentium, marinorum, aëreorum
nulla ferè ſpecies, quæ ad utilium
adep-

adeptionem, & ad noxiorum fugam ratiocinio uti non oſtenderit: Multis miranda quædam in præſentiendo & ſentiendo ſagacitas, ut vafrum quemq; ſuperent virum. Mirare hic mecum qui nuperrimè vixit nomine & re Alacris Canis mei in ſalute morteque ægris prædicenda miram dexteritatem: Is me ad ægros comitatus dies aliquot antequam æger periturus fuerat (alias ſemper mihi proximus) ne vi quidem intra patientis limen impelli potuit, adeo ſine regulis me perfectius iudicavit. Clare itaq; apparet animos brutorum non tantum dialogos, ſed ut Plutarchus ait Syllogiſmos nectere. Quarè cum Pythagora concludimus, publica oratione vel latente ratione utentia nequaquam irrationalia: Priora eſſe talia omnia ſenſu & memoria prædi-

ta, bruta nulla ſunt quæ aliqua non polleant memoria, quin proficuorum & noxium recordentur, Hoc eſt priorem terminum ſenſu perceptum cum ſuperiore iungere: Hoc animi intra ſe ſyllogiſantis munus. Senſus autem qui ſe in memoriam effundit ſuaquè imagine eam figurat, procul dubio cognitio eſt; Hæc ab intellectu primario in res omnes inferas deſcendit. Veriſsimum enim Strationis illud: Nihil vivere ſine ſenſu, nihil ſentire aut cognoſcere ſine intellectu. Quod ſi quis cum Ariſtotele inferat, tales brutorum actiones humanæ eſſe imagines prudentiæ à ratione & animo non proficiſci, ſed mera naturæ opera. Eſto natura in eo in quo eſt motus & quietis principium eſt, hæc duplex, Materia & Forma. Materia ne in cauſa eſt, quod

quod vulpis in transitu fluminis gelu obducti Syllogiset utrum vel non tota eius aqua concreta, factoquè syllogismo transeat vel referat pedem? At materia rudis, imperfecta, & ignobilis tam exactam nequit in animalibus facere differentiam. Id ergo altera natura rerum perfectrix forma effectura, quæ in animalibus animum constituit. Omnis itaquè animus, Intellectus proles, vel mundani animi portio. Vnde quocunque id intelligitur modo (maneat & servetur humano præexcellentia & dignitas animo) animum omnem rationalem statuimus. Communicant animæ divinæ cum humanis, humanæ cum animabus brutorum: Curam gerunt præstantiores minorum, divinæ hominum, homines verô brutorum, Deus autem omnium.

Nam

Nam ipse omnibus maior, ipso cuncta minora: mundus subiacet ipsi Deo, homo mundo, bruta homini. Mundus omnium specierum theatrum: distincta sequuntur genera suas species: Mundo suo hæc similes species procreant. Quamvis autem genera omnia immortalia, species tamen non omnes immortales. Divinitatis enim genus & species immortalis: Reliquorum genera, quorum æternitas genus, quamvis per species occidant, nascendi tamen fœcunditate servantur. Ideoque species mortales sunt, ut homo mortalis sit, sit immortalis humanitas. Horum omnium generum quæ sunt animalia desuper, deorsum radices provenientes habent, animalia de imo in superna viva radice sylvescunt. Humanum genus cunctorum divino quodam corporis

ami-

amictu perfectissimum, immortale simul quemortale, præ cæteris mentē nactum simpliciorem, orationem distinctiorem. Adorandum hoc Dei simulacrum una eius parte simplici divinitati quam simillimum, mundano hoc quo sepitur corporis muro, non ita planè constringitur, quin aliquando ruptis compedibus, velocissime, ingrediatur Indiam, celerrimè Oceano sese immergat, Cœlum absque alis sine impedimento & mora conscendat. Cœlestium nemo Cœli desertis limitibus terram adit. Animo & corpore æterna & mortali Homo natura constant, utique origini suæ satisfacit, miratur oratque Cœlestia, colit gubernatque terrena. Cœlestia quoniam ex essentia immista constant immortalia. Ob materiam quam nactum instabilem & diffluam, mortale & dissolubile huma-

num

num genus: quarè continuo multo adiumento indignum, similibus in in dies subeuntibus recorporascit elementis. Indesinenti namque terræ aquæ, aerisque influxu, quod depastum reponitur, quæ motu diurno dissipatæ & perditæ vires, nocturno reficiuntur somno. Parte verò altera incorporeum, in corporis custodia perpetuo contineri nequit. Qualiter enim eum quem ex aere inspiramus, ac in eundem rursum respiramus spiritum: Ita & vicissim superis, à quibus humanum impetravimus reddimus animum. Dissolutio hæc mors dicitur, non eorum quæ coiere perditio, sed unitorum saltem disiunctio: Plebē hæc terret ut malum rei ignoratione maximum: Terribiliorem ea quæ in nobis vegetatrix existit, corporeque gaudet, efficit. At hæc Philosophis solatio po-

tio potius sit. Paratum enim nobis sciamus exantlatis laboribus morte refugium, quo passis velis tendimus, si aliquando reflantibus ventis reijcimur, eodem tamen paulò tardius referri necessum, in hac mali nihil. Ita filium ante obitum consolaturus divinus ille Hermes in hunc modum allocutus est. Hactenus mi fili à patria vixi peregrinus & exul, nunc incolumis patriam repeto. Cumque post paululum à vobis corporeis vinculis solutus discessero, ne me quasi mortuum lugeatis, nam adoptatam beatamque illam Civitatem regredior ad quam universi Cives mortis cõditione venturi. Ibi nanque solus Deus est sum̃us Princeps, qui Cives suos replebit suavitate mirifica. Quo hæc quam multi vitam existiment, mors est dicenda potius, quam vita. Hæc ille. Viam sibi ad Olympũ anima ster

nit Dei cognitione, ſcelerum expi-
atione. Exuto corpore in ſeipſum
recurrit animus, indumentisq; pur-
gatus cum divinæ naturæ ſit pro-
priam illico igneam induit tunicam,
& quæ non poterat ante divina ſpe-
culari (veluti paſſerculus pede humo
alligatus volare incipiens funiculo in
terram retractus) iam libera moleſti
corporis carcere, Intelligibili ſimilis
effecta non diſtinctis amplius, ſed
contractis ſenſibus, tempora, loca,
quantitates, qualitates, ipſumq; In-
tellectum primum Deum intelliget.
Quæ ſi pia fuerit dœmon Deaq;
quædam efficitur, inq; Elyſij cam-
pos vecta, ſumma & æterna lætitia
afficitur. Sin in Deum impia cor-
porisq; illecebris dedita in propria
permanet eſſentia, devioq; itinere in
obſcurum locum rapta, perpetuo
anxia malæ conſcientiæ editur vul-
ture.

ture editur. Hanc verò è corpore in brutũ aliquot meare, ibiq́ʒ scelerum pœnas exolvere, cum humanus animus, à tanta servetur, Dei lege contumelia, meritò Pythagoræ contradicimus.

Festina itaqʒ ad lucem, & unde egressus paterna lumina, oculos sursum tolle, ne pronus esto in mortalem profunditatem, in mundum nigricantem, squallidum, amentem, idolatrum, præcipitosum, tortuosum, cuncta tenebris involventem, humanæ naturæ partem in te despice, divinitati confide, spes te nutriat igneæ angelicæ regionis, Cur temet tradis in mortalitatem, habens potestatem immortalis fieri: discedito qui in errore incessisti & communicasti cum ignorantia, discede à tenebroso lumine, im̃ortalitatis esto

particeps, deserito corruptionem, deorsum ne pronus, præcipitium in terra subest, sub hac terribilis necessitatis thronus, tu ne fatum auge, ne spiritum macula, necq; materiæ relinque quisquilijs, ne exiens secum auferat sordidi quid corporis. O audacissimum naturæ homo artificium, ingentes terræ mensuras menti tuæ ne impone, plena terra mendacio, Solem ne mensura regulis, Luna astraq; perpetuo progrediuntur æterno consilio non tui gratia, desine curare auræ strepitus: vastia, desine curare auræ strepitus: vas hoc tuum terræ habitabunt bestiæ, cum terra quæ tot pulchra nutrit ac parturit, & de te bene merita commisceri. Animæ faciles solutu sunt, quarè paradysum quære, nil mortale habes, totus divinitate ebrius, quære unde effluxisti animæ tuæ canalem. Dei autẽ soboles cum sis, ô Anima ab

ma, ab eo quaſi in exilio & carcere ſegrata, adorato hunc, quo hinc liberata revertaris ad Patrem, alioquin eorum ſimilis futura, qui parentum patrocinio orbati. Profecto cum univerſi pars ſis, univerſo indiges, ipſa enim ad totum converſio ſalutem partibus preſtat. Compertum eſt excellentiſsimos quosq; apud omnes gentes ſapientia viros ſuperos unico virtutis nomine veneratos eſſe. Sola adoratio rectâ animos beatæ patriæ reddit. Sola ſanctimonia eſt plena virtus, ſolus vir bonus, ut Plato de legib: Deum feliciter precatur, ab hac flagitioſi omnino alièni tanquam prophani à votis & ſacrificijs arcendi. Tu ergo cui curæ pietas Deo lita, atquè mecum conditoris in laudem Ter Maximi Hermetis lyram ita pulſato.

Omnis mundi natura excipiat hymni auditionem; aperiatur terra, aperiatur mihi omnis vectis pluviæ, arbores ne tremite, celebraturus ſum hymno Creatorem Dominum, & univerſum & unum, aperiamini Cœli, venti ſiſtimini, circulus immortalis Dei ſuſcipiat ſermonem meum. Sum enim celebraturus eum qui condit omnia, qui terram fixit & Cœlum ſuſpendit, & juſsit ex Oceano dulcem aquam in Orbem terræ habitabilis & inhabitabilis rivare ad nutricionem omnium: qui juſsit ignem lucere ad omnes actiones Dijs atq; hominibus. Demus ipſi omnes laudem, qui ſuper Cœlos eſt ſublimus, qui totius naturæ eſt Conditor, iſte eſt mentis oculus, & ſuſcipit potentiarum mearum laudem. Potentiæ, quę in me eſtis, laudate unum & univerſum, Concinite

omnes

omnes quæ in me eſtis potentiæ. Cognitio ſancta illuminatus à te, per te intelligibile lumen laudans lætor in mentis gaudio. Omnes potentiæ laudate mecum, & tu mea continentia celebra. Per me cane veritas veritatem: communio quæ in me es univerſum celebra: juſtitia mea juſtum cane per me: bonum cane bonum. O vita, ô lux, à vobis in vos tranſit celebratio. Gratias tibi ago ô Pater actus potentiarum, gratias tibi habeo Deus potentia actionum mearum, tuum verbum per me laudat te, per me ô Vniverſum ſuſcipe verbale Sacrificium. Sanctus Deus Pater univerſorum, Sanctus Patris Genitus cuius conſilium ad finem deducitur; Sanctus Deus, quia cognoſci uis & cognoſceris a tuis. Sanctus es qui verbo conſtituiſti entia omnia,

Sanctus es cuius universa natura imago est, sanctus es qui Omnipotentia es fortior, sanctus es qui omni excellentia es maior, sanctus es qui omnes superas laudes, suscipe loquelæ sacrificium purum, ab animo & corde ad te intento. O indicibilis, ineffabilis, petimus ne aberremus à cognitione nostræ essentiæ, annue mihi & corrobora, & gratia hac illumines eos qui sunt in ignorantia generis mei fratres, filios verò tuos. Ideo credo tibi & testimonium do in vitam, benedictus es Pater, tuus homo tecum sanctificari vult, pro ut ei tradidisti omnem potestatem. Hæc vociferantur potentiæ quæ in me sunt, tuus homo hæc clamat per aërem, per aquam, per terram, per opificia tua. Patrem nequeunt liberi pro dignitate celebrare, id tamẽ quod possunt decẽter red-
dunt

dunt eoq; veniam impetrant. Ac hoc ipſum gloriæ tibi eſt Deus, majorem te cunctis creaturis, hoc ſit proemium, medium, & finis celebrationum, fateri Patrem infiniti potentem. Ab æterno laudem hanc inveni, ſcio voluntate tua laudem hanc dici, dico tibi hæc, o Genarcha generationis, ſuſcipe verbale ſacrificium.

FINIS.



LIBER HIC NOSTER ORATIONE fluit continua, caret ad marginem notis; Occupatioribus ne tumultuariæ lectionis desit occasio rerum loca indicamus.

A

Perpetui

D

E

F

H

I

L

M

N

O

Patris

P

Q

S

Immor



LECTORI

VNice desiderabam Lector chartas has ce omnibus numeris distinctas absolutas ℞ prodire: at nosti hominum inscitiam, negligentiam. In singula inquirere ob ardua nobis non licuit: grandiora saltem peccata notare libuit. Penes delinquentes igitur uti culpa, ita sit infamia:

LEGITO

Pro	*Caput Captu*	*fol:9, lin: 16.*
	Iungitur, iugiter	*f. 13 l. 1.*
	Habeant, habent	*f. 10. l. 1.*
	Bpnum, Bonum	*f. 24. l. 2.*
	Consurgit, Contangit	*f. 33. l. 4.*
	Hic, his	*f. 44. l. 1.*
	Chaldæi, Chaldæos	*f. 56 l. 4.*
	Qui, quæ	*f. 72. l. 6.*
	Corpus, corpore	*f. 74. l. 19.*
	Imparibilis, impartibilis.	*78. l. 4.*



NOBILISSIMIS, CLARISSIMISQVE VIRIS. D. D. SAMVELI MOSBACHIO. I. V. DOCT: ANDREÆ CASPARO AB EBELEBEN *Magni Friderici VVilhelmi Ducis & Administratoris Saxoniæ Senatoribus. S.*

D. IESSENIVS.

VOta DEO, Viri Nobiles, Senatores grauissimi, vetulæ prisci homines Ecclesiæ persoluturi, non ipsi, sed quibus id cælitus incumbebat oneris Sacerdotum peregisse opera, nostis ex Leuitico. Humanos nostros hodie fœtus Christo sacro Baptismi fædere deuouendos, per susceptores ceu obsides & predes decentissimo Ecclesiæ ritu DEO corám statuimus. Ingenij hunc partum meum cui nam vouerem, deuoverem, consecraremq; potius? quam vni soliq;, Magno Friderico VVilhelmo Principi, Musarum Germaniæ Numini. Vos ergò, vos inquam ego æquitatis voco Pontifices, exsoluite votum: Musæ simul date nostræ fidem securi nomine. Non fallet: nacta Halcyonia ornabit spartam: tota Principis futura est. Viuite.

